



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

4 An, quando species miscentur, maneat ibi corpus, vel sanguis Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

si vero est accidens, quomodo potest esse subiectum ex quo fiat materia? Soto d. 10. q. 2. ar. 6. (& significat etiam Hispanensis supra) dicit materiam illam compo-
 ducti ab agente naturali, idque naturaliter, supposito primo miraculo. Sed, si loquuntur proprie de virtute naturali, dicunt rem plane impossibilem: quia prius miraculum non dedit virtutem naturalem igni, aut simili agenti ad producendum aliquid ex nullo subiecto, cum potius tota necessitas huius materiae sit ut possit naturale agens ex subiecto aliquo formam substantialem educere: si autem non loquantur de virtute connaturali ipsi agenti secundum se, sed potius ipsi mysterio, ita ut ratio illius debitus sit naturali agenti concurrens, quo possit materiam producere, hoc gratis & sine fundamento dicitur; nam, licet hic modus agendi non sit impossibilis, tamen necesse est, ut in eo concurrat naturalis causa solum, ut instrumentum Dei, & non quaecumque sed creationis, quod omnium difficilimum esse censetur, hoc autem est magnum miraculum, quod non est fundamentum in consecratione; quia non oportet, ut agens creet materiam etiam si à Deo creanda sit: non est ergo asserendum hoc miraculum sine maiori fundamento, ut etiam Sotus fatetur: hic ergo haec actio à solo Deo absque vilo instrumento separato: probabile tamen est, humanitatem Christi ad illam concurrere, ut instrumentum coniunctum: de qua re nonnulla dixi in primo tomo ad q. 13. D. Thom.

Ultimo inquiri potest, quomodo ex hac materia possit naturale agens educere formam, & aliquid generare. Et ratio dubitandi est, quia illa materia de novo creatur à Deo in eodem instante, in quo fit generatio: agens autem naturale non potest tam subito illam dispo-
 nere, nec sine dispositione praevia potest naturaliter formam ex illa educere. Propter hanc enim rationem Scotus q. 6. & alii exitatis authoribus existimant, agens naturale non concurrere ibi ad generationem substantialem, nec solam materiam primam creari tunc à Deo, sed totam substantiam compositam, cui debita sunt illa accidentia. Sed immerito ita opinantur. Iuxta nostram ergo sententiam qua credimus, manere eandem quantitatem in genito & corrupto, dicendum est, praeter actionem creativam materiae, de qua iam diximus, duas alias hic esse considerandas actiones: Vna est, qua species sacramentales, siue quantitas panis praexistens vinitur materiae, hic enim est notus effectus realis, qui specialem causam requirit: potest autem intelligi fieri altero à duobus modis, prior est per naturalem resultantiam ex intrinseca natura ipsius materiae & quantitatis, nam cum in illo instante desinat ibi esse corpus Christi, consequenter desinit esse in quantitate modus ille per se existendi, quem habebat separata, & aliunde materia prima in eodem instante fit per creationem intime praesentali quantitati, & ideo ablati iam omni impedimento, ex naturali propensione & inclinatione, quam ad invicem habent, propria virtute copulantur & vniuntur, & hic modus subtilis est & probabilis. Alter vero modus facilius est, ut à Deo speciali actione vniantur, nam actio pure vnitiva, & non educitiva quantitatis de potentia materiae, non est naturalis, unde non potest resultare ex sola natura materiae & quantitatis: neque ab aliquo agente naturali fieri: si vero (ut probabile est) actio vnitiva, qua ibi interuenit, est effectus rationis cum educatione, seu cum illa, qua naturae inter conferuatur quantitas in materia, illa non potest esse à quantitate: quia respectu illius non supponitur prius natura existens: neque etiam esse potest ab aliquo extrinseco agente naturali: quia praesupponitur alterationi eius, & quia iuxta hanc opinionem, quam profsequimur, quantitas naturaliter solum fit per concreationem cum materia, & similiter conferuatur: fit ergo praedicta unio per actionem Dei, quae, supposito mysterio, dici potest naturalis: quia debetur materiae sic creatae sub il-

la quantitate: sicut debetur illi concreatio quantitatis, si non supponeretur quantitas existens. Altera actio, quae hic interuenit, esteductio formae substantialis rei genitae, v. g. vermis, aut unio animae rationalis in nutritione hominis, & haec naturali virtute fit ab agente naturali, quod est facillimum, suppositis, quae diximus: nam, facta unione quantitatis ad illam materiam, manet etiam disposita per qualitates, quae in illa inharebant, & media quantitate, illi coniuncta manent, & ab eodem agente introducere fuerant, & ideo nullum est impedimentum, quo minus idem agens suam formam introducat. Atque idem facile defendi potest, iuxta opinionem asserentem, fieri resolutionem usque ad materiam primam, iuxta quam consequenter dicendum est, in omni naturali corruptione & generatione manere materiam primam spoliata quantitate & qualitatibus omnibus quae immediate ante illud instans in illa praecesserunt; & nihilominus dicitur manere disposita, ut agens hanc formam in illa introducat, vel potius per habitudinem nescio quam ad totam alterationem praecedentem, & dispositiones, quae immediate antea antecesserunt, vel negatiue, quia per hoc, quod manet non repugnans, neque indispota, agens potens est ad agendum in illa, quantum potest, in vno instante, & consequenter ad introducendam formam substantialem cum vltima dispositione eius. Ad eundem autem modum loquendum est in hoc mysterio iuxta hanc sententiam, vel quod Deus introducit materiam, ubi praesuit quantitas cum eadem sigillatione & habitudine, ac si illa quantitas toto tempore antecedente inhaesisset materiae, vel certe creari tunc materiam nudam & non repugnantem, in quam proinde operatur agens tota virtute formam substantialem introducendo.

SECTIO IV.

Verum species sacramentales possint misceri, & an tunc desinat ibi sanguis Christi.

Haec quaestio proponitur propter difficilem doctrinam D. Thomae in artic. 5. & melius faciliusque explicabitur in speciebus vini: nam regulariter solum illa possunt proprie misceri, eo quod liquidae sint. Dupliciter autem solent liquores misceri, primo imperfecte per diuisionem in minutissimas partes, earumque localem interpositionem & nonnullam alterationem mutuam, quae ad substantialem corruptionem non perueniat. Secundo fieri potest cum transmutatione substantiali, vel vnius miscibilium in alterum, quod praedominatur, quae potius est corruptio vnius & generatio, vel ad generatio, seu accretio alterius, quam mixtio, vel cum transmutatione vtriusque in vnum tertium, si debita proportione miscantur, & hanc vocauit propriam mixturem Arist. 1. de gener. text. 88. & lib. 2. text. 48.

Secundo suppono, inter liquores eiusdem speciei solum posse fieri imperfectam mixturem, quia vnum non potest corrumpere alium substantialiter, nec per diuisionem in minimas particulas, nec per nimiam alterationem. Prior pars probatur, vel quia in his rebus homogeneis non datur minimum, vel certe, quia licet detur minimum existens, non autem inexistens, in praesente autem, quamuis diuisio fiat in minutissimas partes, illae non manent per se separatae, sed statim vniuntur aliis partibus eiusdem speciei, cum quibus miscantur, ut patet, cum vna aqua alteri infunditur: nam quomodocumque partes sese diuidant, & interponant, nulla fit corruptio: nam eadem facilitate, qua diuiduntur, vniuntur. Posterior autem pars de alteratione patet, quia nulla res corrumpit alteram suae speciei, ut in alia specie aliam producat, cum omne agens tendat ad producendum sibi si-

sibi simile, neq̄ etiam corrumpit illam, vt in eadem specie producat aliud indiuiduum, quia agens non intendit indiuidualem similitudinem, quam conseruare non potest, sed specificam, quæ iam præsupponitur. Dices, hoc solum procedere, vt sunt duo vina alba, non vero quando, licet sint similia in substantia, sunt dissimilia in accidentibus, vt sunt vinum album & rubrum, tunc enim videtur posse vinum, aliud corrumpere, vt producat aliud sibi simile, non tantum in substantia, sed etiam in accidentibus. Sed hoc non videtur recte dici, nam cum tota dissimilitudo tunc sit in accidentibus, fati erit, quod possit vinum accidentaliter aliud immutare, vt illud sibi reddat omnino simile, quæ immutatio ad alterius substantialem corruptionem non erit sufficiens, quia, cum substantiæ sint omnino similes & homogeneæ, accidentia vnus sufficiunt ad conseruandam formam substantialem alterius, & è conuerso, de quo latius in philosophia, ex cuius principiis adiunctis Theologicis supra politis, præfens quæstio definienda est.

Species vini consecrati sunt miseri vinorum dem sp̄tati, tunc non desinit esse sanguis esse sub eis.

Omissis ergo opinionibus, dico primo; Species vini consecrati possunt miseri cum alio liquore eiusdem vel alterius speciei tantum imperfecte, & tunc non desinit sub eis esse sanguis Christi. Probatur prima pars experientia, & ratione, quia hæc species sunt facile diuimiles, & penetrabiles, & quia eis fieri potest, quicquid ex vino fiebat, quia ita se gerit quantitas affecta illis accidentibus, ac si esset substantia, & ideo nihil obstat, quod secundum Aristotelem accidens non possit miseri substantiæ, quia tunc non misceatur quantitas per modum accidentis, sed per modum substantiæ, tanquam per se existens; & hinc patet secunda pars, quia semper hæc mistio in principio pro aliquo tempore est imperfecta, quando alteratio non potuit vsque ad corruptionem substantialem producere. Et inde etiam concluditur pars vltima, nam quamdiu alteratio non est tanta, quæ ad corruptionem vini sufficiat, manet ibi sanguis Christi: vt supra probatum est: sed quamdiu mistio est imperfecta, alteratio est huiusmodi: ergo manet ibi sanguis Christi. Dices, ergo misceatur sanguis Christi alteri liquori. Respondetur, proprie loquendo non miseri, vt hic dicit D. Thomas art. 8. ad 2. quia mistio nõ tantum dicit mutationem localem, sed etiam diuisionem, interpositionem, & alterationem partium quæ non sunt in corpore Christi, & per extrinsecam quandam denominationem: sicut dicitur frangi Corpus Christi, iuxta supradicta disputat. 48. sect. 4.

Si species vini consecrata perfecta misceatur cum liquore speciei distincte non manet ibi sanguis Christi.

Dico secundo: Species consecrata perfecte miseri possunt cum liquore speciei distincte, & tunc non manet sub eis sanguis Christi. Ita D. Thom. dicto art. 8. & in 4. dist. 12. vbi Durand. quæst. 3. Paludanus quæst. 5. Richard. art. 4. q. 1. Capreol. dist. 13. q. 1. ad argumenta contra secundam conclusionem: & prior pars constat ex dictis, quia facta mistione imperfecta cum liquore speciei distincte, potest tanta alteratio fieri in speciebus consecratis, quanta sufficeret ad vinum corruptendum, & aliam rem generandam, iuxta dicta, sectione præcedente: ergo vnchiet generatio seu mistio perfecta. Et inde etiam concluditur vltima pars, quia iam tunc non manisset ibi substantia vini: ergo nec manet sanguis Christi. Rogabis, quid fiet, si in huiusmodi mistione cum liquore speciei distincte (verbi gratia, cum aqua) virtus actiua specierum sacramentalium prædominetur, & aquam corruptat? Dicunt aliqui totam illam manere consecratam & conuersam in species vini: quia si in principio ante consecrationem facta fuisset illa alteratio, postea per verba tota illa materia consecraretur: ergo idem postea fiet virtute prioris consecrationis, sicut, si pars aquæ non benedictæ cum alia benedicta

miscetur, tota manet benedicta, cap. Quod in dubiis. de Consecrat. Eccles. vel altaris: nihilominus dicendum est, tunc quidem ex illa particula extranea, quæ misceatur, generari vinum, iuxta dicta in prima sectione huius disputationis: sub illius tamen accidentibus non esse sanguinem Christi: quia præcedentia verba consecrationis tantum potuerunt consecrare materiam sibi præsentem: hæc autem materia, nec tunc erat præfens, imo neq̄ erit materia, quia non erat vinum: species autem consecrata non possunt postea alias species consecrare: quia non est eis data hæc vis, sed tantum verbis consecrationis. Neque est simile de aqua benedicta: quia eius consecratio solum est per quandam extrinsecam denominationem ab Ecclesia institutam, quæ voluit, eam extendi, & ad partes postea admittas, seu voluit eam fieri solum per contactum seu admissionem cum aqua benedicta: hæc autem consecratio fit per realem transmutationem, & supernaturalem actionem, ad quam efficiendam solis verbis virtus & efficacia data est.

Sub speciebus consecratis manet sanguis Christi.

Dico tertio: Quando species consecrata misceatur vino non consecrato, sub eis semper manet sanguis Christi. Est communis sententia, quam tenent Durand. Richard. & Palud. paulo antea citati. Scot. dist. 12. q. 4. Bonauent. artic. 1. quæst. 2. & significat Alen. 4. part. 4. membr. 2. art. 3. & Innocent. libr. 4. de hoc myster. c. 32. & idem in re sentiunt recentiores Thomistæ, Soto, Ledesma hic, & Victor. in Sum. num. 64. & colligitur ex c. Cum Martha, de celebrat. Missar. vbi in §. Quæsiuisti, dicitur. Si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, non transire in sanguinem, sed committum manere cum speciebus consecratis. Supponit vero hæc conclusio, omnia vina eiusdem speciei, & ea, quæ sunt eiusdem speciei, non substantialiter, sed accidentaliter tantum transmutari, & consequenter tantum posse inter se imperfecte miseri: vnde concluditur ratio, nam species consecrata, tantum imperfecte misceantur vino non consecrato: quia non magis alterantur, quam si ibi esset substantia vini: sed quamdiu mistio est imperfecta, ibi manet sanguis Christi, vt dictum est in prima conclusione, quia ibi etiam maneret substantia vini: ergo, quando cunque fit mistio inter species consecratas, & aliud vinum, non amittitur consecratio, etiam minima qualitas maioris misceatur, & longo tempore duret. Sed obstat auctoritas Diui Thomæ, qui contrarium docere videtur hic: & in 4. distinctio. 12. articulo. 2. quæstionula prima, & quodlib. 10. artic. 3. Exponit tamen potest, primo, quod tantum loquatur de vinis distinctæ qualitatis, inter quæ est alteratio. Sed reuera D. Thomas absolute loquitur, & non fundatur in ratione alterationis, sed solum quia per diuisionem fit distinctum indiuiduum, & ideo dicit definire ibi esse Christum. Quæ ratio æque procedit in vinis eiusdem qualitatis, imo etiam procedit in diuisione hostiæ, vel calicis: quia etiam tunc sunt duo indiuidua, & ita non manebit Christus sub partibus diuisis, quod est contra fidem. Sicut ergo hic dicuntur fieri plura indiuidua, quoad terminos quantitatis, non tamen, quoad substantiam, quæ eadem manet sub eis diuisis, quæ erat sub coniunctis, & ideo sub vtriusque manet Christus, ita dicendum est de mistione specierum. Adde etiam, in vinis distinctæ qualitatis non esse veram illam sententiam: quia, vt dixi, non fit inter ea alteratio, vsque ad corruptionem substantialem. Alier ergo Victoria & Soto dicunt, sententiam D. Thomæ intelligi, quando species consecrata per mistionem diuiduntur in partes minores minimis. Sed hoc etiam reiectum est, quia ille partes minores non manerent per se separata, sed vnire alteri vino, cum quo misceantur, ergo sub eis conseruaretur vinum: ergo sanguis Christi. Respondent alii, posse vinum, cui misceantur species, esse adeo crassum, vt non possint species

species diuina statim illi continuari, & in hoc casu lo- qui Dium Thom. Sed hoc est plane voluntarium, & preterea recte Soto notauit in eo casu, si non potest fieri continuatio, multo minus posse fieri tantam diuisionem specierum, quæ ad corruptionem suffi- ciat, præsertim quia hæc omnia supponunt opinio- nem valde incertam, quod vinum terminetur ad minimum. Quocirca nullam expositionem, quæ mi- hi satisfaciatur, inuenio, nec ratio eius quicquam con- uincit, ut probatum est, ratio autem conclusionis videtur conuincens, & ideo hæc opinio magis pro- batur.

Sed quæres, quid fiet de illo vino non consecrato? sige enim in magno dolio vini non consecrati ap- poni paucam quantitatem specierum consecrata- rum. Aliqui affirmant, illud existimandum & ha- bendum, ut vinum commune. Ita sentiunt Paludan. Soto. Sed mihi certe non probatur, quia est contra reuerentiam debitam speciebus consecratis; & ideo existimo, separandum, & ad sacros usus referuan- dum, quia, ut Richardus dixit, totum manet quo- dammodo benedictum, ratione contactus: & licet non fiat contactus in omnibus & singulis partibus, tamen propter periculum & dubium prædicta dili- gentia adhibenda est.

QVÆSTIO LXXVIII.

De forma Sacramenti Eucharistiæ, in sex articulos diuisa.



Deinde considerandum est de forma huius Sa- cramenti.

Et circa hoc quærentur sex.

Primo, quæ sit forma huius Sacramenti.

Secundo, verum sit conueniens forma conse- crationis panis.

Tertio, verum sit conueniens forma consecrationis sanguinis;

Quarto, de virtute virtusq. forma.

Quinto, de virtute locutionis.

Sexto, de comparatione vnius forma ad aliam.

ARTICVLVS I.

Verum hæc sit forma huius Sacramenti, hoc est cor- pus meum, & hic est calix sanguinis mei.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod hæc non sit forma huius Sacramenti, hoc est corpus meum; & hic est calix sanguinis mei. Illa enim verba videntur pertinere ad formam huius Sacramenti, quibus Christus corpus suum & sanguinem consecrauit. Sed Christus antea benedixit panem acceptum, & postea dixit: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum (ut habetur Matth. 26.) & similiter fecit de calice.

Ergo prædicta verba non sunt forma huius Sacramenti.

2. Præterea, Euseb. Emislen. dicit, quod inuisibilis sacer- das creaturas in suum corpus conuertit, dicens: Accipite, & co- medite, hoc est corpus meum. Ergo totum hoc videtur pertine- re ad formam huius Sacramenti. Et eadem ratio est de verbis pertinentibus ad sanguinem.

3. Præterea, in forma Baptismi exprimitur persona mini- stri, & actus eius, cum dicitur: Ego te baptizo. Sed in præmis- sis verbis nulla sit mentio de persona ministri, nec de actu eius. Ergo non est conueniens forma Sacramenti.

4. Præterea, Forma Sacramenti sufficit ad perfectionem Sa- cramenti, vnde Sacramentum Baptismi, quandoq. perfici potest solis verbis forme prolatis, omnibus alijs prætermis- sis. Si ergo prædicta verba sunt forma huius Sacramenti, videtur, quod aliquando possit hoc Sacramentum perfici his solis ver- bis prolatis, & omnibus alijs prætermis- sis, quæ inmissa dicun- tur. Quod tamen videtur esse falsum: quia vbi verba alia pro- Franc. Suarez Tom. 3.

termittentur, prædicta verba acciperentur ex persona sã- Ibidem. cerdotis proferentis, in cuius corpus & sanguinem panis & vi- num non conuertuntur. Non ergo prædicta verba sunt forma huius sacramenti.

Sed contra est, quod Ambros. dicit in lib. de sacramentis: Lib. 4 cap 4 Confecratio fit verbis, & sermonibus Domini Iesu: nam per paulo à pr. reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione peti- som 4. tur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Vbi autem venit, ut conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermoni- bus sacerdos vitur, sed vitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.

Respondeo dicendum, quod hoc Sacramentum ab alijs sa- cramentis differt in duobus, primo quidem, quantum ad hoc, quod hoc Sacramentum perficitur in consecratione materia: alia vero sacramenta perficiuntur in vsu materie consecrata. Secundo, quia in alijs sacramentis consecratio materie consi- stit solum in quadam benedictione, ex qua materia consecra- ta accipit instrumentally quendam spiritualem virtutem, quæ per ministrum, qui est instrumentum animatum, potest ad instrumenta inanimata procedere. Sed in hoc Sacramen- to consecratio materie consistit in quadam miraculosa con- uersione substantie, quæ a solo Deo perfici potest. Vnde mini- ster in hoc Sacramento perficiendo non habet alium actum, nisi prolationem verborum. Et quia forma debet esse conueni- ens rei, ideo forma huius Sacramenti differt a formis aliorum sacramentorum in duobus; primo quidem, quia forma aliorum sacramentorum important vsu materie, puta baptizati- onem, vel consignationem: sed forma huius Sacramenti im- portat solam consecrationem materie, quæ in transubstantia- tione consistit; puta, cum dicitur, hoc est corpus meum, vel, hic est calix sanguinis mei. Secundo, quia forma aliorum sacra- mentorum proferuntur ex persona ministri, siue per modum exercentis actum: sicut cum dicitur: Ego te baptizo, vel, Ego te confirmo: siue modum imperantis, sicut in Sacramento Ordinis dicitur: Accipe potestatem, &c. siue per modum de- precantis, sicut cum in Sacramento Extreme vñctionis dicitur: Per istam vñctionem, & nostram intercessionem, &c. Sed forma huius Sacramenti proferuntur, quasi ex persona ipsius CHRISTI loquentis, ut deur intelligi, quod minister in perfectione huius sacramenti nihil agit, nisi quod proferit verba CHRISTI.

Ad primum ergo dicendum, quod circa hoc est multiplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod CHRISTVS, qui habet potestatem excellentie in Sacramentis, absque om- ni forma verborum hoc Sacramentum perficit, & postea ver- ba protulit, sub quibus alij postmodum consecrarent. Quod videtur sonare verba Innocentij Tertij dicens. Sane di- citi potest, quod CHRISTVS virtute diuina conficit, & verb. de sa- postea formam exprestit, sub qua posteriori benedicerent. Sed ro al. ar. is contra hoc expresse sunt verba Euangelij, in quibus dicitur, mysterio c. 6 quod CHRISTVS benedixit, quæ quidem benedictio ali- cren. fin. quibus verbis facta est. Vnde prædicta verba Innocentij sunt opinatiue magis dicta, quam determinatiue. Quidam au- tem dixerunt, quod benedictio illa facta est quibusdam alijs verbis, nobis ignotis. Sed nec hoc stare potest, quia benedi- ctio consecrationis nunt perficitur per recitationem eorum, quæ facta sunt. Vnde si tunc per hæc verba non est facta consecratio, nec modo feret. Et ideo alij dixerunt, quod illa benedictio est idem etiam verbis facta est, quibus modo fit, sed CHRISTVS ea bis protulit: Primo quidem secreta ad consecrandum, secundo manifeste ad instruendum. Sed nec hoc stare potest, quia Sacerdos consecrat, proferens hæc ver- ba non vt à CHRISTO in occulta benedictione dicta, sed vt publice prolata. Vnde, cum non habeant vim huiusmodi verba, nisi ex CHRISTI prolatione, videtur, quod etiam Christus manifeste ea proferens consecrauerit. Et ideo alij di- xerunt, quod Euangelista non semper eundem ordinem in re- citando seruauerunt, quo res sunt geste, vt patet per Augustin- Lib. 2. collig- gium ecc. c. 20. in * libro de consensu Euangelistarum. Vnde intelligendum est, ut 44. est, or- tom 4.

